

Jacob Fabricius   Georg Fruböse


## De Empyematis Natura Et Curatione Disputatio

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742559572>

Druck   Freier  Zugang






F. J. 105  
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835<sup>1-26</sup>

1008





7.  
80

DE  
EMPYEMATIS  
NATURA ET CURATIONE  
DISPUTATIO,

*Quam*

Auspice & Moderatore Deo

TER OPT. ET MAXIMO,

*Ex decreto Amplissime Facultatis Medicæ*

*In Inclytâ & antiquâ Megapolensium*

*Academiâ,*

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi, Excellentissimi, & Experientissimi*

*VIRI,*

DN. D. JACOBI FABRICII,

Archiatrî Megapolitani, Medic. & Superior. Ma-

them. Professoris publ. & p. t. Medicæ Facultatis

DECANI,

*pro*

Summis in arte Medicâ honoribus & pri-

vilegijs Doctoralibus consequendis,

*Publica censura subijciat*

GEORGIUS Gruböse

*Grunauviâ - Braunsvic.*

*Ad diem IX. Februarij, horis ante & pomeridianis,*

*in Auditorio magno.*



ROSTOCHI

Excusa à Joachimo Pedano, Academ. Typographo,

ANNO M. DC. XXVI.

DE  
EMILY HALL  
NATURA ET QUANTITAS

Author & Mathematician  
THE ART OF READING  
BY JOHN HENRY HALL



Summa in arte Mathematica  
quae continet  
arithmeticae, algebrae, geometricae  
et trigonometriae  
principia  
G. H. HALL



CUM DEO  
DE  
EMPYEMATE.  
Thesis I.



Angina, Pleuritis, Peripneumonia, & hujus generis alij affectus, ex se & suâ naturâ, morbi sunt acuti, & propterea, periculo plenissimi, qui si malè terminantur, aut minùs ritè curantur, teste Hippocr. apud Galen. lib. 10, & in Coacis textu 396. in Empyema abeunt, malum gravissimum, tum ratione sedis affectæ, & actionum seu facultatis, quibus officit, tum ob ipsius curationis difficultatem.

II.

Illis relictis, inpræsentiarum de hujus duntaxat naturâ atq; curatione, câ qua fieri potest, brevitate disquiremus.

III.

Ἐμπύημα, vocabulum Græcum, Latinis suppurationem, seu purulentiam significat, & ὁμόνυμον est: nam latè sumptum, suppurationem in quacunq; corporis parte: minùs latè, purulentiam in aliquo viscere: in stri-



ctiori verò significatione, puris inter thoracem & pulmo-  
nes coaccervationem denotat, ut *Gal. l. de tumor. p. n. c. 3.*  
*2. method. c. 2. & in comment. 7. apb. 44.* abundè docet,  
qui hoc modo affectos *5. simpl. c. 2. 4. de Causis puls. c. 9.* & a-  
libi Empyos vel Empyicos, hoc est, purulentos aut sup-  
puratos appellat.

#### IV.

De hac posteriori Empyematis specie duntaxat a-  
gere animus est, ubi consideranda erunt 1. Genus con-  
junctum, sive proximum. 2. Pars affecta. 3. Causæ. 4.  
Definitio. 5. Differentiæ. 6. Signa, & ultimò Curatio.

#### V.

De Genere autem ejusdem inter se ambigunt auto-  
res: nos suam cuiq; liberam relinquentes sententiam,  
cum *Galeno lib. de differ. morb. c. 8.* tam *morbis in numero*  
*præter naturam adaucto*, quàm ijs, quos *in viâ sive cavi-*  
*tate* vocant, affectum hunc diversò respectu annumera-  
mus.

#### VI.

*Pars, qua afficitur*, thorax est, & quidem ratione su-  
perficiei interioris, sive cavitatis, quam obtinet, &  
quâ cor ac reliquas partes in ipso contentas ambit atque  
complectitur, & modò illius alterutrum latus solùm,  
propter mediastini intercessionem, quod purulentæ ma-  
teriæ ab uno ad alterum latus confluxum sæpe impedit;  
modò utrumq; simul laborat, prout peccans materia,  
jam hic, jam illic, sedem sibi figit.

#### VII.

*Causa Empyematis proxima seu continens* pus est, in  
thoracis cavitare collectum, idq; vel inibi ex sanguine,  
in eam effuso generatum, vel à vicinis partibus in illam  
transmissum.

San-

VIII.

Sanguinem cum dicimus, non saltem syncerum, verum etiam nonnunquam, qui vel uni, vel pluribus est reliquis humoribus permixtus est, intelligi volumus. Catarrhosas autem destillationes a capite, item serofos, pituitosos, ac reliquos humores omnes, exquisitum, sive legitimum Empyema excitare posse negamus.

IX.

Ex jam dictis Antecedens quoque causa facile intelligitur, nempe morbus, a quo fit ejusmodi vel sanguinis, vel puris in thoracem profusio.

X.

Sanguis est vas suis, id est, vicinarum partium venis & arterijs profunditur, quando eadem, aut per anastomosis aperiantur, aut per Διαπύδησιν (quod tamen raro contingit) rarefiunt & relaxantur, aut per Διαίρεσιν rumpuntur, vulnerantur, vel eroduntur. Quo facto, quia in naturali amplius loco non continetur, & nihilo tamen minus per αιμόρρυσιν expectorari, aut quacunque alia ratione est corpore eliminari nequit, facile ibi putris reddi, & in pus converti a Natura potest.

XI.

Hinc 6. aph. 20. Hipp. sanguinem in ventrem p. n. effusum in pus converti, necessum esse dicit, & propterea, a sanguinis sputo, puris sputum sequi. 7. aph. 15. Et 8. idem docet.

XII.

Pus vero in capacitatem thoracis mittitur, quando ex phlegmone aliqua ulcus, vel abscessus, aut vomica, in pulmone, larynge, faucibus, & ipsius thoracis interioribus partibus aperitur, aut rumpitur, vel etiam,

A 3 quan-

quando ex vulnere thoracis extrâ quidem cicatrice ob-  
ducto, intus verò nondum perfanato, fit in thorace pu-  
ris congestio.

XIII.

Inde Hipp. 5. aph. 8. ait: *Quicumq; pleuritici non ex-  
purgantur per superiora in quatuordecim diebus, his in sup-  
purationem materia convertitur. Et aph. 10. ejusdem libri:  
Qui anginam evadunt, his ad pulmones materia fertur, &  
in septem diebus moriuntur, sin hos evadant, suppurati  
sunt. Id quod in Coacis textu 367. iisdem ferè verbis  
asserit. Item ibidem textu 369: Quicumq; peripneumonici  
diebus judicatorijs non repurgantur, ijs suppurationis metus  
impendet, quod & 1. de morbis p. 7. repetitur, & in Coacis  
textu 430: Quicumq; vulnerati in thoracem externâ quidem  
parte vulneris sanati sunt, internâ verò non, periclitantur  
ne suppurati fiant, & c.*

XIV.

His quoq; addi possunt ulcera fordida, maligna, fistulosa, aut canerosa faucium, adeoque ipsius thora-  
cis, in cavam ejus partem sese exonerantia, eamq; illu-  
vie suâ, sæpe non tam quantitate, quàm qualitate pec-  
cante, replentia.

XV.

*Causa procatartica* variâ, & quidem ex earum nu-  
mero sunt omnia, quæ ad excitandas phlegmonas, va-  
saq; rumpenda, aperienda & relaxanda idonea sunt, ut  
sunt cibi & potus, quemadmodum & medicamentorum,  
aut venenorum calidiorum assumptio, aërisq; justo cali-  
dioris attractio, excernendorum retentio, suppressio  
item solennis & consuetæ alicujus evacuationis, vehe-  
mentiores tam corporis, quàm animi motus atque  
excr-

exercitia, rerum calidarum contactio, ut aëris ambi-  
entis, aquæ item, aut vaporis balnei & similibus. Item  
nimia vociferationes, percussiones, casus ab alto, colli-  
siones, contusiones, vulnerationes, & quæcunq; rabi-  
fica, fistulosa, ac alia maligna ulcera inducere, catar-  
rhosve movere apta sunt, sicut ea omnia e propria sua se-  
de, qui volet, petere potest.

### XVI.

Et tantum de Genere, subjecto & causis Empyema-  
tis, e quibus junctim sumptis ipsa quoq; ejus *Definitio* ma-  
nifesta evadet, quod sit collectio puris in cavitate thoracis, vel  
ibi generati, vel aliunde à partibus vicinis, post illarum infla-  
mationem, exulcerationem, aut vulnerationem, illuc trans-  
missi, orta, cum tussi & sputo purulento, difficilem inducens  
respirationem.

### XVII.

*Differentias* porrò quod attinet, veniamur illas I. à  
causâ, cujus ratione Empyema aliud legitimum est & ex-  
quisitum, aliud verò spurium & minus exquisitum: &  
deinde aliud ex synceri sanguinis purulentia, aliud e san-  
guinis cum alijs humoribus permisti putrefactione na-  
tum: aliud deniq; materiam agnoscit benignam, aliud  
acrem & insigniter fatidam. 2. à parte affectâ, ita aliud Em-  
pyema radicatur in ipso thorace, aliud ab alijs partibus  
originem trahit: item quoddam est totale, ubi nimi-  
rum utrumq; thoracis latus simul, & aliud partiale, quan-  
do alterutrum horum purulentæ farraginis mole grava-  
tur. 3. à magnitudine, ob quam hoc majus, illud mi-  
nus Empyema appellatur. 4. à duratione, quâ aliud est  
brevius, aliud verò longius. 5. ab eventu, sic illud lethâ-  
le.

se omninò & incurabile nuncupatur, hoc curabile & salutare, quæ ex signorum doctrinâ clariora reddentur.

XVIII.

*Signa autem Empyematis Diagnostica* sunt, respiratio molesta atq; difficilis, dolor gravativus imi thoracis, & tussis, principio quidem inanis seu sicca, progressu tamen morbo, cum puris frequenti excreatione: & ut plurimum quoq; præter hæc signa febris affligit, & sonus fluctuantis strepitus in pectore percipitur, dum de latere in latus se æger convertit, quod postremum, affectum hunc, ab alijs morbis thoracicis, distinguit. Videatur *Hippo: in prognost. p. 9. & seqq.* ubi tam illorum, qui suppurati jam facti sunt, quam qui adhuc fiunt, aut futuri sunt, faciem egregiè depingit.

XIX.

Verùm quia hæc jam enumerata signa omnia ferè cum pleuritis & peripneumonix signis coincidunt, prius quàm de reliquis signis agatur, videndum, num in ejusmodi affectibus suppuratio, de quâ suspicio est, jam facta sit, an verò adhuc fiat, an item abscessus jam rumpatur, an verò ruptus sit antea, quod scitu, tam ad curationem, quam prognosin, Medico maximè necessarium est.

XX.

Sciendum igitur, quòd, quando in talibus morbis dolores atq; febres, qui, teste *Galeno in comment. 2. aph. 47.* ambo ex quadam veluti ebullitione atq; exustione sanguinis contingunt, magis exacerbantur, omniaq; reliqua symptomata, & imprimis spirandi difficultas vehementer invalescunt, suppurationem fieri certò statuentum sit, præsertim si nulla notabilis evacuatio per expui-

spuitionem, secessum, urinam, venæsectionem, hæmor-  
rhagiam narium, aut quamcunq; aliam rationem, præ-  
gressa fuerit. Quando verò dolores vicissim mitescunt,  
febrisq; quodammodo remittit, suppurationem abso-  
lutam, & pus confectum esse, certum erit. Nam dum  
pus conficitur, dolores atq; febres affligunt magis, quàm eo-  
dem jam confecto, ut in dicto aphorismo Hippo. testatur.

XXI.

Quomodo peruestigari debeat, num abscessus aut  
vomica rupta sit, Hippo. 3. de morbis p. 54. ubi de Pleuri-  
tide agit, docet his verbis: *Post ruptionem sanus esse vi-*  
*detur* (de peripneumonico loquitur) *quod pus ex angu-*  
*stiori in ampliorem pervenerit locum, & spiritus, quem at-*  
*trahimus inspirando, in pulmone locum habeat, verum*  
*progresso tempore pectus pure impletur, & tusses atq; febres,*  
*aliq; dolores omnes magis urgent, morbusq; magis manifestus*  
*evadit.* Scilicet, vomica, aut abscessu disrupto, leva-  
men persentiscit æger, doloresq; remitti videntur, dum  
purulenta colluvies ex angustiore sede, quam antea suâ  
copiâ distenderat, atq; mole gravârat, in capaciorem  
cavitatem derivatur, unde quoq; tunc respiratio ma-  
gnâ ex parte juvari ac instaurari videtur: sed fucatum  
est, & apparens saltem illud auxilium: nam quando, ob  
continuum puris confluxum, ipse thorax impletur, atq;  
diaphragma gravatur, nova denuo ac graviora inva-  
dunt symptomata, & febris, tussis, excretio, difficul-  
tas anhelitus, ipseq; dolor gravativus vehementius fero-  
citer incipiunt. Hæc igitur quando fieri videmus, aut  
jam antè facta esse, non est, quòd, ruptionem tunc  
quoque peragi, aut peractam antè esse, amplius dubi-  
temus.

B

Porro

## XXII.

Porro legitimi & illegitimi Empyematis, ut & causarum, signa desumuntur à purulentæ facis proprietatibus. Legitimum autem vocamus, quod à vero pure; Illegitimum, quod à tali humore, qui reverà pus non est, sed formam saltem puris præsentat, ortum est. Veri autem & exquisiti puris notæ sunt: 1. Immissum post excretionem in catinum, tepente aquâ plenum, fundum petere. 2. In prunas projectum graveolentiam, aut foetorem concitare. 3. Facile dividi. & ultimò coloris esse cinericij, vel potius albi. Quodcunque igitur puris formam habens, ex opposito, calenti aquæ immissum, eidem supernatat, prunis admotum non foetet, nec facile dispescitur, sed arctè ac velut gluten cohaeret, & postremò colorem refert non cineritium seu album, sed alium quendam, pus non est, sed pituitosus, aut aliquis alius, lentus & viscidus humor, coctione ad puris formam redactus. Si à synœeri sanguinis massâ pus est, præter alia signa distinctiva cineritium erit, seu album, ut diximus: si verò sanguini permista fuerit bilis, flavescet: si melancholia, lividum aut nigrum apparebit: & si pituita, candidum quidem, sed præterea mucosum & viscidum.

## XXIII.

Si non in ipso thorace natum est Empyema, sed pus aliundè affluit, præcessit vicinarum partium inflammatio, ulceratio, vulneratio, ex proprijs signis dignoscenda. Si autem contrario modo se res habet, vasorum prægressa est ruptio, apertio aut laxatio, & sæpè ipsa cruenta exspuitio, quemadmodum in causis dictum est antea. Utrumq; thoracis latus simul laborare, dolor mani-

9  
manifestabit, non minus hic, quam illic savitiam suam exercens, atq; decubitus ægri in utroq; latere æque difficilis: nam si in uno saltem latere, aut in hoc magis, quam illo, dolor affligit, ægerq; in uno quam altero gravius decumbit, unum quoq; latus solum affectum erit, & quidem illud, in quo dolor quidem major, sed decubitus facilius est, cum in interioribus affectibus semper sit facilius in affectâ, quam oppositâ parte cubare. Adde quod & major caliditas, quæ tactu, rubore, & alijs notis deprehenditur, partem purulentam prodit, ut *in prognostic. p. 9. Hippo.* habet.

XXIV.

Empyema majus, à puris majori copiâ ortum, majora & graviora, minus verò, à minori quantitate puris factum, minus gravia atq; periculosa manifestant symptomata.

XXV.

Quoad *Prognosin*, longius Empyema fore, indicat tardum & obscurum morbi atq; symptomatum incrementum, puris excreti immaturitas, & signorum partim malorum seu lethaliùm, partim verò salubrium, mutuus concursus, atque alternæ vicissitudines. Brevis autem terminatum iri hunc affectum, absoluta prædicit materiæ morbificæ concoctio, & ostendunt signa salutis, aut mortis mox imminētis evidentissima.

XXVI.

Maturum & laudabile pus censetur, quod album, & leve est, minusq; fœtidum, æqualis item substantiæ, & mediocris consistentiæ, non tenue nimis, neque nimium crassum, quas optimas in pure notas *Hippo. in pro-*



*gnosticis p. 6. maxime requirit: & deinde, quod purum est & candidum, non coenosum aut cruentum, teste eodem 7. aph. 44. Crudum & immaturum e signis contrarijs manifestabitur.*

XXVII.

*Salutis nuncij non obscuri sunt, symptomatum omnium mitigatio, praesertim vero febris remissio, bonitas item, ac notabilis, quemadmodum & facilis eductio materiae purulentae, cum reliquis bonis aegri conditionibus, quas Hippo. in Coacis textu 402. complectitur his verbis: Quibus & febris statim decedit, quibz cibum appetunt, & quibus pus facile ducitur, album, inodorum, leve, ejusdemq. coloris, & a pituita liberum, & alvus exigua & compacta egerit, plerumq. brevi servantur.*

XXVIII.

*Lethalia signa describuntur ab eodem, loco jam citato, hoc modo: Quos vero febres consequuntur, & sitis, & cibi fastidium urget, & pus nigrum, lividum, aut cum virore pallidum, aut pituitosum, aut spumosum, & alvus insuper liquida fit, moriuntur. At (addit) quibus quadam ex praedictis contingunt, quadam vero non, horum aliqui pereunt, aliqui multo tempore servantur. Horum etiam quadrant, quae in prognostic. p. 10. hac de re scripta extant.*

XXIX.

*Major praeterea suppuratio periculosior est minori, totalis partiali, item quae ex ulcere fit maligno, quam quae sequitur vulnerationem thoracis. Quin & periculosior est, quae sinistram occupat, quam quae dextram. Majori quoque cum noxa invadit, quae ex aliarum partium inflam-*

11  
inflammatione oritur, quàm quæ in ipso thorace nata  
est, & inter illas omnium periculosissima est, quæ post  
phthisin, in quâ pulmonis ulcera, si altiùs radices ege-  
rint, per se sunt perniciofa ac lethalia, contingit: secun-  
do loco est, quæ peripneumoniam insequitur, cùm ta-  
men periculo minimè vacent, quæ post pleuritidem &  
anginam infestant, sed *ex peripneumoniacis suppurationi-  
bus seniores magis pereant, ex reliquis juniores, ut videre est  
apud Hippo, in prognostic. p. ii.*

XXX.

Terminatur Empyema plerumque per expectora-  
tionem, interdum per urinam, alvum, nonnunquam  
etiam per parotidas, & alios abscessus, & quemadmo-  
dum Hippo. in Coacis text. 404. & 5. aph. 15. docet, nisi  
pus quadraginta diebus evacuetur, per unum è jam di-  
ctis evacuationis modis, in phthisin abit, aut arterias  
mole suâ comprimendo, aut coarctando, & sæpe illa-  
rum canales infarciendo, vitalibus spiritibus viam in-  
tercludit, atq; suffocando ægrum interimit. Et tantum  
de signis.

XXXI. *p. n. = præter act.*

Ultimò reliquum est, ut & de *curatione* agamus, quæ  
perficitur, ea, quæ p. n. in corpore adsunt, removendo,  
quæ verò secundum eandem sunt, conservando, atque  
instaurando. Primæ igitur atque præcipuæ, seu gene-  
rales indicationes, quæ, quid agendum, quidvé omit-  
tendum, in omni curatione demonstrant, sunt: 1. Pus  
in thoracem toto genere p. n. congestum ex eodem eva-  
cuare, partesq; malè affectas, robur ijs conciliando, refi-  
cere. 2. Materiam tam fluxuram, quam quæ adhuc in-

fluxu est, avertere, atque educere, illiusq; novum pro-  
ventum retundere. 3. Viribus prospicere, & si sympto-  
mata fortiùs urgent, ea mitigare,

XXXII.

Priusquam verò puris evacuationem moliamur,  
accuratè attendendum erit, num abscessus ruptus sit,  
sin enim minùs, maturatio illius acceleranda erit pepti-  
cis & ecpyeticis, id est, maturantibus & pus moventi-  
bus medicamentis, qualia sunt, quæ modicè calefa-  
ciunt & humectant, substantiamq; habent Emplasti-  
cam, docente *Galeno s. simplic. s.* & unguentorum, ca-  
taplasmatum, aut fomentorum formà adhiberi queunt.

XXXIII.

Quomodo autem maturatione peractâ, abscessus sic  
rumpendus, omnium optimè *Avicenna* docet l. 3. *Fen. 10.*  
*tra. 5. c. 5.* hoc pacto: Suffumigentur gutturâ ipsorum (æ-  
grorum puta) storace calamitâ, & detur in potu syrupus  
*byssopi fortis*, item *Mithridatium* & *theriaca*, si non fuerit  
febris, neque debilitas, neque extenuatio. In cibo dentur  
*pisces saliti*, & sumat in ore, cum vadit dormitum, pilulas  
factas ex hierâ, & pulpâ colocynth. & pilulæ etiam cochia in  
potu dentur, in horâ dormiendi, & confert ei sumere sinapi  
cum aq. mellis, & potare assam fatidam in lacte, & confert  
ei jacere super latus sanum, quando vult eruptionem &c.  
Quo loco etiam vomitum commendat, quem tamen,  
ipse ille, ob tum virium ex immodicâ puris eruptione,  
jacturam, tum suffocationis metum, periculosum  
dicit.

Quod

XXXIV.

Quod si ne hac quidem ratione rumpatur, & interea tamen vehementia symptomatum adeo invalescat, atque urgeat, ut vel vitæ periculum inde imminere conspiciatur, extremo malo extremum remedium, jubente Hippo. i. aph. 6. est adhibendum, & ferro ac igne, quemadmodum idem aphorismorum ultimo præcipit, res peragenda, & sectione sive ustione thoracis apertio est instituenda, ad eum modum, quem infra trademus. Si autem nec illa profunt, malum, eodem aphorismo attestante, incurabile pronuntiandum est.

XXXV.

Insuper ante morbificæ materiæ amolitionem animadvertendū, quorsum & per quas vias natura tendat, nam quæ educenda sunt, per hanc viam maxime ducere expedit, quæ natura tendit, per convenientes locos, ut i. aph. 21. Hippo. monet. Siquidem Medicus, naturæ minister, actiones ejus semper promovere, non verò impedire, debet, & secus qui fecerit, motus contrarios ciendo, magnas Naturæ creat molestias, eamq; sapissime privat sine suo optato.

XXXVI.

Quod si igitur illa per asperam arteriam, rufsiendo aut excreando elidi, prompta videatur, bechicis, sive expectorantibus medicamentis opus erit, quæ leniter incidunt, attenuant, abstergunt, & arteriacâ virtute, expuitionem promovent, idq; celeriter, & potenter, ne pus ultra 40. dies thoracis cavitatem occupans pulmones exulceret. Quales sunt radices helenij, Ireos, glycyrrhizæ, marrubium, carduus ben. hyssopum, scabio-

fa.

sa, capilli Veneris, farfara, erysimum, ficus & hujus generis alia, quæ in hydromelite aut oxymelite, sive simplici, sive squillitico, aq. hordei aut alio liquore infundi, coqui, aut in Eclegmatis, sive quacunque aliâ formâ, pro ægri ratione, exhiberi possunt, additis illorum syrupis, & interdum salibus, chymicâ arte inde extractis, ut eorum & usus eò fiat gratior, & virtus magis exaltetur atque intendatur.

XX XVII.

Si per alvum exitum molitur, virium robore non neglecto, cathartice lenioribus, ut melle & syrup. rosarum & viol. solut. cassiâ, mannâ & rhabarbaro infusis, cremore, seu crySTALLIS tartari, cum spiritu vitrioli animatis, & additis, si necessitas flagitet, uno atque altero, vel etiam pluribus granis scammonij gummosi, seu optimè præparati, ad illius efficaciam exacuendam, item acido tartari, ac tartaro vitriolato, in jusculo carniæ, decocto prunorum, aut simili exhibitis, naturæ conatus juvandus erit, cui scopo maxime quoque inservient enemata ex iisdem, aut alijs hujusmodi medicamentis, cum aq. aut ptisanâ hordei parata.

XXX VIII.

Si per ductus urinarios exitum, seu viam querit, paranda illa erit diureticis, & citra magnum calorem urinam moventibus, ut seminibus & radicibus petroselin. fœnic. asparagi, gramin. quibus mel rosat. syrupus capill. Veneris, emulsiones 4. semin. frigid. &c. permisceri possunt, ad puris acrimoniam refringendam. E Chymicis medicamentis, præ reliquis commentatur spiritus falsus in aq. ononid. aut aliâ convenienti usurpatus, quem-

15  
quemadmodum & spiritus nitri cum spiritu vini artis legem  
unitus, & in convenienti aquâ destillatâ propinatus.

XXXIX.

Dictis autem medicamentis morbo non cedente,  
neq; viribus expuitioni sufficientibus, antequam incurabilis  
phthisis inducatur, thoracem cultello, aut ferro candente,  
ad hoc negotium accommodato, perforabis, & pus per foramen  
extrahes. Quod quidem opus quia periculi plenum est,  
neq; temere, neq; timide, adeoq; inaniter, sed  
cum maximâ præmeditatione & moderatione suscipiendum  
erit. Fiet verò in latere affecto, eo nimirum loco,  
ubi pus potissimum stabulatur, secundum fibrarum  
rectitudinem, in musculis intercostalibus, & quidem  
ijs, qui sunt inter tertiam & quartam costam, ab inferiori  
seu ultimâ sursum numerando, non adeò propè  
diaphragma, ut ipsum lædi periculum sit: neq; adeò  
procul ab eo, ut puris effusio absq; incommodo fieri  
possit, foramine non nimis amplo, neq; admodum angusto,  
tribus digitis transversalibus à dorsi spinâ, ne medulla  
lædatur, nervorum plurium origo; ac quia, teste  
*Gal. c. 7. l. 4. loc. affect. qui Empyemate laborant, vires habent  
imbecilliores*, sensim, & partitò puris peragetur evacuatio,  
bombace seu turundâ conveniente vulnus sapius obturando,  
& iterum aperiendo, ne fiat virium ultra modum prostratio,  
aut unâ cum pure, ipse quoq; spiritus exhauriatur,  
quod timebat jam olim *Hipp. 6. aph. 27.* Demum,  
sufficienti puris quantitate effusâ, quod reliquum est,  
crassius & glutinosius, ad exitum parabitur, si super  
latus apertum æger jaceat, ac fortius & crebrò tussiat.  
Quin & si opus, ad detergentia interna & externa

C

terna

terna veniendum, qualla ex hydromelle, terebinthinâ, farinâ hordei, lupinor. melle rosaceo, agrimoniâ, unguento mundificativo de apio, idq̄ genus alijs parantur.

XL.

Verùm enimverò, quocunquè purulenta excretio prorumpat, atq; educatur, præter jam enumerata remedia semper, & quàm diu malum perseverat, illorum quoque usus summè necessarius est, quæ spurum facilitant, partes thoracicas, præsertim pulmones roborant, consolidant, & peculiari virtute juvant. <sup>ut faciunt con-</sup>solidæ & pulmonariæ species. <sup>sanicula,</sup> violæ, rosæ, hederæ terrestris, pulmo vulpis & looh ex eodem, item looh sanum & expertum, Diatragacanthum, Diapenidium, spiritus, flores, lac & balsamus sulphuris, Elixir proprietatis, & hujus generis similia.

XLI.

Quomodo novus materiæ affluxus debeat impediri atq; præcaveri, & tam quæ jam fluit, quàm quæ post fluxura est, avertenda atq; evacuanda sit, a Practicis petendum est, ubi agunt de Peripneumoniâ, Pleuritide, Anginâ, hæmoptysi, catarrho, vulneribus & ulceribus thoracis malignis, fistulosis, cancerosis, quibus perfanatis, atque sublatis fomes quoq; Empyematis submovebitur. Similiter quâ ratione symptomatum, & inprimis febris vehementia mitigari possit, aliundè defumi potest, neque enim ista omnia pertractare nostri instituti ratio patitur.

XLII.

Virium jacturam refarcimus conservis florum antheros, melissæ, borraginis, buglossi syrupo Refectivo Valer.

17  
Ier. Cordi, speciebus & trochiscis diambri. manus Christi  
perlat. Essentiâ croci, Magisterijs & tincturis corallo-  
rum, perlarum & similibus, quæ vel reliquis medica-  
mentis permisceri, vel per se exhiberi possunt.


XLIII.


His quoq; inprimis accedat legitima victus ratio, &  
reliquarū rerum non naturalium dexter usus, seu bona.  
Diæta. Aer igitur sit temperatus & ad siccitatem incli-  
nans, cibus coctu facilis & boni succi, sicans, atte-  
nuans, & detergens, & ante omnia avium carnes elixæ  
cum extenuantibus commendantur, panis convenit  
triticeus, bene coctus. Pro potu cremor hordei parari  
potest, decoctum item passularum & glycyrrhizæ, sacca-  
ro aut pauco melle, ad majorem deterfionem, dulco-  
ratum: vinum insuper tenue, & ad dulcedinem incli-  
nans, concedi potest adfuetis, nisi ob febris præsentiam,  
ejus usu agris omninò interdicendum sit. Vitentur o-  
mnia acida, austera & adstringentia. Laxa sit alvus, &  
urina libere & copiosè fluat. Somnus non sit nimius,  
neq; vehementes tam animi quam corporis motus,  
& exercitia. Plura addere non libet: qui  
volet, e Practicis illa petat.






















ler. Cordi, speciebus & trochiscis diamb. ma  
perlat. Essentiã croci, Magisterijs & tinctu  
rum, perlarum & similibus, quæ vel reliqu  
mentis permisceri, vel per se exhiberi possun

XLIII.

His quoq; inprimis accedat legitima vic  
reliquarũ rerum non naturalium dexter usus  
Diætã. Aer igitur sit temperatus & ad siccit  
nans, cibus coctu facilis & boni succi, sic  
nuans, & detergens, & ante omnia avium c  
cum extenuantibus commendantur, pan  
triticeus, benè coctus. Pro potu cremor ho  
potest, decoctum item passularum & glycyri  
ro aut pauco melle, ad majorem deterfion  
ratum: vinum insuper tenue, & ad dulced  
nans, concedi potest adfuetis, nisi ob febris p  
ejus usu agris omninè interdicendum sit.  
mnia acida, austera & adstringentia. Laxa  
urina libere & copiosè fluat. Somnus non  
neq; vehementes tam animi quam corpor  
& exercitia. Plura addere non libet  
volet, e Practicis illa petat.

